THESES EX UNIVERSA THEOLOGIA DEPROMPTAE QUAS IN...

Carlo Felice Marzuttini



CARISSIMO FRATRI

JOSEPHO HONORIO MARZUTTINI

PRESBYTERO DOCTORI

HUJUS UNIVERSITATIS THEOLOGIAE PASTORALIS

AC ORATORIAE SACRAE PROFESSORI

ET HOC ANNO SCHOLASTICO RECTORI MAGNIFICO

QUOD

MAXIMAM PARTEM STUDIORUM MEORUM

OPE ET CONSILIO ADJUVERIT

MULTISQUE IN ADVERSIS ME PRO VIRILI

EREXERIT

PATER FRATER AMICE

ACCIPE

INGENUUM ET DEBITUM TESTIMONIUM

AMORIS BENEVOLENTIAE GRATIQUE ANIMI

EX HISTORIA ECCLESIASTICA

1. Dioecesis Aquilejensis est originis apostolicae.
2. Verus successor s. Hermagorae I episcopi Aquilejensis habendus est patriarcha venetus.
3. Nullus fuit inter Ecclesiae praesules qui consilio, doctrina, zelo ac labore, partes Ecclesiae et imperii, aevo Caroli Magni sustinuerit sicut noster patriarcha Aquilejensis s. Paulinus.
4. Idem Paulinus si non copia operum, quia multa periere, saltem doctrina, eruditione, et magna omnium Patrum et Pontificum sui temporis existimatione, pro extinctione praesertim haeresis Felicis et Elipandi, Doctorum cathalogo adscribi potest.
5. Apostolatus Paulini inter Carinthianos et Avares in dubium revocari nequit.
6. Uti s. Bellinus episcopus patavinus, et s. Thomas episcopus Cantuariensis, ita ét noster patriarcha Aquilejensis b. Bertrandus inter Ecclesiae martyres referri potest, cum ut duo priores pro Ecclesiae suae juribus tuendis mortem subierit.
7. Clemens Augustus archiepiscopus Coloniensis, jure meritoque Athanasius nostri aevi nuncupatur.

EX JURE CANONICO

1. Christus in Ecclesia sacrum principatum instituit.
2. Primatus summi Pontificis non honoris tantum, sed et jurisdictionis habendus est.
3. Gratianus falsas Decretales recipiens haud mala fide egit.
4. Quae sanctus patriarcha Paulinus decrevit circa matrimonium in patrio concilio Forojuliensi, optime conveniunt cum praesenti Ecclesiae disciplina.
5. Desiderium hinc inde prodiens ut monastica instituta a competenti auctoritate magis magisque hodiernis adjunctis aptentur, minime spernendum arbitramur.
6. Parochi non sunt habendi divinae institutionis, sed potestas eorum ab episcopali tamquam a fonte procedit.
7. Leges disciplinares quaecumque ab Ecclesia mutari possunt.

EX ARCHEOLOGIA BIBLICA

1. Religio Veteris Foederis magis magisque continuo usque ad Messiam divinitus est evoluta.
2. Domesticum sanctae gentis Veteris Foederis institutum divinis humanisque normis innixum, et ad evolutionem physicarum moraliumque virium specialiter ordinatum erat.
3. Moses omnes rectores populorum, et sub omni respectu antecelluit.
4. Poesis ipsique coaeva musica antiquissima aetate etiam apud Hebraeos ad conservandam historiam inserviebat.
5. Scientias geometriae, mechanicae, geographiae, medicinae, historiae naturalis et philosophiae stricte dictae Hebraeis non ignotas fuisse, ex sacris Bibliis abunde liquet.
6. Moses non docuit Deum mere nationalem.

EX INTRODUCTIONE ET EXEGESI IN LIBROS SACROS VETERIS FOEDERIS

1. Corpus Bibliorum Veteris Foederis ab Ecclesia romano-catholica traditum, est auctoritatis absolute irrefragabilis.
2. Scriptor התורה Deut. XXXI, 9, est auctor totius Pentateuchi.
3. Scriptoribus Veteris Foederis adstitisse Spiritum Sanctum in suis libris conscribendis probatur.
4. Monstrum marinum Jonam deglutiens fuisse charcaria aut lamia putatur.
5. Canon Alexandrinorum eosdem complectebatur Libros, quos Patres Tridentini sacros et canonicos declaravere.
6. Nisi bonus grammaticus et philologus, interpres probabilis nemo.

EX HERMENEUTICA BIBLICA

1. Licet admodum difficile sit in libros N. F. Hebraica a bene Graecis distinguere, non desunt tamen regulae, quibus hac in ro interpres possit adjuvari.
2. Ad rectam interpretationem requiritur examen varii usus loquendi, pro temporum varietate.
3. Spiritus privatus pro recta Sacrarum Scripturarum interpretatione non tantum est res absurda, sed omnino ridicula.
4. Triplex est parallelismi species.
5. Inter externa Hermeneuticae Biblicae subsidia principem obtinet locum originarius Scripturae textus, cujus usus plurimum commodi ac fructus ad sensum arripiendum affert.
6. Adcomodatio dogmatica in Christo et Apostolis omnino repugnat.

EX INTRODUCTIONE IN LIBROS SACROS N. F.

1. Pro librorum N. F. genuinitate comprobanda Celsus philosophus in suo opere, cui titulus αληθης λογος, sese testem omni exceptione majorem profert.
2. Epistolam d. Pauli ad Romanos non latino, sed graeco sermone scriptam fuisse contendimus.
3. Codex perantiquae ac insignis collegiatae Forojuliensis seu Civitatensis, si non est autographus divi Marci Evangelistae, aevo saltem antiquissimo tribuendus est.
4. Eruditissimus Calmet jure meritoque inter viros, qui bene de studiis Biblicis N. F. meruerunt, refert etiam divum Chromatium episcopum Aquilejensem.
5. Ad comprobandam librorum N. F. genuinitatem conferunt etiam Haereticorum, Judaeorum et Gentilium testimonia.
6. Ex eo quod Ecclesia ab initio canonem librorum N. F. integrum non habuit, eorum divina origo in dubium vocari minime potest.

EX THEOLOGIA DOGMATICA

1. Homo in statu praesenti, sola naturali ratione ductus, religionem perfectam et veram nec cognoscere, nec exercere potest.
2. Hinc oritur necessitas divinae revelationis.
3. Divinam Filiationem optime propugnat s. Paulinus Aquilejensis in Libello Sacro-syllabo, quod ipse composuit precibus motus episcoporum praesertim Galliae et Hispaniae, pro extirpatione haeresis Felicianae.
4. Christus Dominus plenam redemptionem intulit.
5. Attamen eadem redemptio hominum cooperationem non excludit.
6. Dogma de futura divina retributione est irrefragabile ipsius rationis postulatum.
7. Omnes Angeli a Deo recti atque boni creati fuere.
8. Gratia libertatem non suffert, seu non est necessitans.

EX THEOLOGIA MORALI

1. Quae sunt de necessitate salutis, omitti non debent etiam propter scandalum vitandum.
2. Ethica christiana philosophicam longe antecellit.
3. In iis quae circa jus justitiamque versantur, civiles quoque leges sunt consulendae.
4. Mendacium sic dictum *necessitatis* nullam ob causam tamquam licitum admitti potest.
5. Theologia moralis Protestantium quam maxime distat ab illa Catholicorum.
6. Mortale est agere vel velle aliquid graviter illicitum ob finem bonum.
7. Prudentia evangelica omnino differt a politica mundana, immo non raro illi opponitur.
8. Irasci non semper est malum.

EX THEOLOGIA PASTORALI

1. Mundi cognitio, atque imprimis hominum quibuscum agat, animarum pastori prorsus est necessaria.
2. Maxima a parocho impendenda est cura in componendis discordiis domesticis.
3. Illud Exodi XXV, 40 *Inspice et fac secundum exemplar*, considerent parochi tamquam sibimetipsis dictum de Christi Domini imitatione Pastorum omnium perfectissimi archetypi.
4. Magnum exemplar pastoralis ministerii hisce ultimis temporibus sese praebuit cardinalis *Di Cheverus* archiepiscopus Bordensis, cujus vita, italico idiomate donata, Utini anno elapso edita fuit.
5. Experientia pastoris, spectata aliorum pastorum experientia, tum quoad doctrinam, tum quoad pietatem adjuvatur atque perficitur.
6. Multa documenta salutis haurire possunt sacri pastores in Verbi Divini praedicatione ex aureo libro s. Paulini patriarchae Aquilejensis, de salutaribus documentis ad Henricum ducem Forojuliensem.